



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

2. S. Thomas Archiepisc. Regaliæ abusus impugnat, & hæc ei necis causa
&c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

perantis, ac irâ concitati ratione submotâ: nec enim omnis calor vitalis est; aliquis ex morbo, febrîque provenit. Qui verò omnia Principi concedat, ac etiam erranti obsequatur, is planè nec Episcopum se, nec Pastorem meminit; quippe pereuntem videt, si-letque, & tamen revocare poterat præcipitio ostenso; cum enim non voluntate, & proposito Principes delinquant, in Ecclesias præsertim; sed aut errore, aut consilijs inducti, nullâ re magis curari, pervertique possunt, quàm aut nudatâ, aut suppressâ veritate. Nec alios reperies minoris in Reges suos fidei, quàm qui perpetuis adulationibus eos demulcent; spe enim, & quæstu ducuntur, non eorum obsequio, & reverentiâ; quòd si præmia submoveas, aut aliunde majora ostententur, eâdem facilitate, quâ Deum, & conscientiam, etiam Principem exuent, Sirenes in cantum æquè, & naufragium paratæ.

II. Unam ex præcipuis causis, quæ S. Thomæ Cantuariensi exilium, mortemque atulit, Regaliam fuisse, certum est, Henrico II. Angliæ Rege fructus vacantium Ecclesiarum usurpante, novâque electiones, quò diutiùs frui posset, in longum trahente, quem abusum cum S. Thomas non ferret, gratiâ, & vitâ excidit. (a)

Anno 1162. ex Regni Cancellario ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Cantuariensis provectus est. Florebat tunc temporis eximia Regis sui gratiâ; quippe morum venustate, ingenio serijs æquè, ac jocis prompto; litterarum, juris præsertim, insigni peritiâ; memoriâ omnium, quæ semel legisset, audissetque, tenaci; præcipuâ denique in Principem fide, & industriâ omnium laborum victrice sibi aulam devinxerat; accesserant alia, in Clerico quidem haud commendanda, sed tamen Principi chara, luxus videlicet domesticæ suppellectilis, vestitus apparatus, & prope pompam; convivia magnificè instructa, famulantium copia, mores ad Regis genium compositi, ac ideò grati, & denique quidquid vanitatem redolet; sed, quod in aulico mireris, præcipuâ intactâque castitate, & amorum rudi: altâ nocte, qui eum observabant, cum crederent formosissimæ cujusdam, ac olim Regi per dilectæ, amplexibus frui (nam istum donis, ac blanditijs captabat) genibus

(a) Vide vitam S. Thom. cap. 15. & epist. 109. & ibid. in libello consuetud. cap. 12. Wilhelmus Briton. lib. 8. Philippid.

genibus nixum, & inter preces fomno, ac fatigatione oppreffum reperere. Hæc ergo vanitatis juxta, & virtutum mixturâ Regem fibi, Clericūque devinxit, omniumque Epifcoporum votis, qui Londinum convenerant, Archiepifcopatum meruit, Monachis tantum, qui Ecclefiam Cantuarienfem obtinebant, adverfantibus; (a) quippe, & hominis luxum, & potentiam Regis favore fubnixam, infestamque Ecclefij metuebant, fed eventus aliorum spes, aliorum metus fefellit; ipfe tamen omnium acerrimè hanc dignitatem repulit, & Rege ad omnia, quæ objectabat, immoto, certamini præludens: (b) *ſcio*, inquit, *quia ſi Chriſto diſponente ſic acciderit, citiſſimè animum auferes à me, & gratia, quæ inter nos tanta eſt, in atrociffimum odium convertetur. Novi enim te nonnulla exacturum, & in Eccleſiaſticis te jam multa præſumere, quæ ego animo ſuſtinere non poſſum. Ubi vides, cum Cancellarium ageret, jam tum præſenſiſſe tempeſtatem, & ventis, quos Regia cupiditas excitabat, obluſtari ſolitum, vinci tamen ſe ferebat, gratiæ, & potentiæ anxius, Regiſque obſequebatur invitâ conſcientiâ, quæ cauſa eſt Joanni Saresberienſi, (c) ut eum *miniſtrum iniquitatis* appellet. Sed animum cum aula mutavit; quamquàm & in aula invitum ſe teneri, honeſtūque exitum proſpicere, sæpè amicis ſuis inter lacrymas profeſſus eſt. (d) Sacris potitus cenſorem ſibi, obſervatoremque poſuit, à quo, quid Archiepifcopum dedeceret, hominèſque offenderet, moneretur: veſtis intima cilicium, & poſt hoc Monachi habitus; (e) (audierat enim, quotquot ſine hac veſte cathedram Cantuarienſi inſediſſent, infelici morte ſublatoſ) ac demum ferica, & quæ Antiftitem deceret. Canonum, Legūmque ardentius, quàm par eſſet, ſtudio, dehortante per litteras Saresberienſi, cujus hæc verba: (f) *Proſum quidem leges, & Canones, ſed mihi credite, quia nunc non erit hiſ opus: non hoc iſta ſibi poſcit ſpectacula tempus: mallem vos Pſalmos ruminare, & B. Gregorij Morales libros revolvere, quàm Scholaſtico more Philoſophari. Profecit monitio, adjecitque animum ſacræ Scripturæ ſtudijs; has nocti, has menſæ, ac etiam itineri miſcebat; plerūmque cum iter ageret, ab itinere divertens, ut vel**

Scriptu-

(a) Vide Heribert. in vita cap. 6. (b) Heribert. in vita cap. 6. (c) Joan. Saresb. ep. 140. (d) Joan. Saresb. in vit. cap. 5. (e) Baron. ad an. 1162. n. 27. & Spond. ibid. (f) Saresber. epiſt. 31.

Scripturas legeret, vel cum alio conferret; mensæ perpetua lectio; nocte intempestâ Psalmos canere; post cantum tredecim pauperibus mensa sternebatur, præcinctus ipse ministrum agere, pedibus advolvi, aquam juxtâ, lacrymâsque affundere: sequebatur largitio quaternis in singulos argenteis: tum brevis, & delibatus somnus, post quem sacri codices, & cœlestium meditatio in tertiam diei horam producta, nullis interim admissis, qui obstrepent, prophanisque negotijs mentem turbarent. A tertia sacris operabatur, nec tamen quotidie, quodd se indignum, imparatumque crederet: tanta verò sacra peragenti vis lacrymarum, ut plures gemitus, quàm verba essent. Diei nonâ mensæ assidebat, lautæ quidem, & Regio ministro dignæ, sed quam præ dapiibus lectio condiebat, & eruditorum, qui magno numero admittebantur, sermocinatio; reliquam diem negotia occupabant: munerum perpetuus contemptus, nec ei tantum, sed aulae tori, quam copiosam alebat. Non nemo cum negotij causâ in Palatio esset, & solemni, receptoque more nunchos, nunc illos auro tentaret, omnibus respuentibus: Curiam, inquit, *plusquam auream inveni, quæ non solum post aurum non abiit, sed aurum abiicit, spernit, & calcat.* Summa, & profusa liberalitas, in pauperes præsertim, quibus terna in dies convivia, intempestâ videlicet nocte, sub auroram, meridiemque. Hæc necessario commemoranda duxi, ut & sanctum fuisse memineris, quem pro aris conflictantem videbis, & tamen mundi, aulaeque gnarum, nec ex eorum numero, qui sanctitatem quidem colunt, sed rudem, agrestemque, & ideo sæculi nostri moribus haud gratam. Vix annus fluxerat, cum prima odiorum initia prorupere, parvis quidem momentis ducta, sed semper majora, ac tandem implacata.

III. Causæ indignationis istæ. *Quod officium Cancellariæ abdicasset, quippe viribus vix sacra Praefectura paribus: quod vacantium Ecclesiarum fructus, qui inveterato jam more fisco addicebantur, non Regi, sed Ecclesia deberi diceret: quod Clericos scelerum compertos Regijs Magistratibus tradi nollet, puniretque quidem, sed mitius, quàm Regi placeret: quod agros, ditionesque Ecclesie ab Antecessoribus alienatas, oblatus pretijs repeteret, hinc potentiorum odia, clam quidem habita, sed occasione, & vindicta intenta: quod Regi, an Regias consuetudines observare vellet? petenti, velle se respondit, sed salvo ordine suo:*
quam